

QL 14, 72^a

X 186 3039

II

II h
288

JESUS!

* * *

M. WOLFGANGI MELHORNI

ENCOMIUM

SEXUS FOEMINEI,

Tenus hâc à multis Nobilioris Litteraturae Heroi-
bus desideratum; nunc verò non paucis in locis castiga-
tius atq; emendatius *Chemnitii Misnorum*
editum,

â

JO. FRIDERICO HEKELIO.

Apud Jo. GABRIEL. GÜTNERUM,
Aô. M. DC. LXXIV.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



JESUS!

Eminentissimae non ita pridem ex voto

SPONSORUM *Trigae,*

in q; eâ VIRIS

Illustri, Magnificis, Nobilissimis, Excellentissi-

mis atq; Amplissimis DNNN.

DN. CASPARI ALEXANDRI, celeberrimi Nomi-
nis JCto, Serenissimo Principi, RUDOLFO AUGUSTO, Brun-
svicensium & Lüneburgensium Duci, à Consiliis Intumis,
ac in Comitibus Ratisbonensibus hodiè Legato splendidis-
simo, &c.

DN. SIGISMUNDO à Birken/ JCto atq; Polyhistori
eximio, Comiti Palatino ac Poëtae Nobili Caesareo spe-
ctatissimo, nec-non Sacratissimae Maj. Caes. Divi LEO-
POLDI Historico laudatissimo, &c.

DN. CHRISTIANO DAUMIO, Critico, Poëtae ac
Philologo famigeratissimo, ut & Scholae Cygneae Rectori
meritissimo, &c.

DOMINIS SUIS OPT. ATQVE EVERGETIS

MAXIMIS,

FOEMINEI SEXUS ENCOMIUM

HOCCE, IDQVE

Thalamo ALBINO - SELNECCERIANO olim (XXV.

np. Octobr. die A. CH. M. D. LXXXV.)

cordicitus sacratum,

Votorum calidissimorum locò,

ut nimirum

Uniuscujusq;, qui non sine propriissimò Encomiò κατ'

ἀξίαν heic est denominatus,

CONJUGIUM

FELIX, FAUSTUM, LAETUM ATQVE EXOPTATUM

sic,

Observanter vult INSCRIPTUM atq; DEDI-

CATUM esse,

JO. FRIDERICUS HEKELIUS.



JESUS!

* * *

ENCOMIUM
SEXUS FOEMINEI.



Non benè tornatò dùm conor ludere versu
Foemineas laudes, tu mihi, *Christe*, fave.
Nam quia virgineò voluisti è corpore nasci,
Arguis haud matrum te reprobare genus.
Dumq; tibi cordi est, ceu sponsa, Ecclesia, sponso, 5.
Sponsorum coetus vis quoq; laude vehi.

Tu quoq; *Summe Parens*, hunc sexum protege, *Nato*
Corporis è quò sunt addita membra tuo.

Et tu *vivificans* homines coelestibus auris,
Viventum matres dum cano, *Flatus* ades. 10.

Simplice concordans triplex in Numine Numen
Adsertum vestrum conveniatis opus.

Vosq; *Medusaeae* blandissima spectra puellae,
Vos oculis linguam dirigitote meam.

Mox ait, heic, *Erato*, nobis seritur metiturq; ; 15.
Ipsa canam numeros voce cheliq; tuos.

Adreptaq; cheli pertentans pollice chordas
Gestit (Jò!) sexum concelebrare suum.

SI solet, & meritò preciosum quidquid in orbe
Extat, ob autorem clarius esse suum: 20.

Non postrema manet muliebrem gloria sexum
Haud autore satum nobiliore minus.

Non etenim *Cous* nos primùm finxit *Apelles*

Ob *Venerem* totò notus in orbe suam;



25. Sed nos artificum cunctorum factor & autor
 Primus de costâ fecit, *Adame*, tuâ.
 Ille quidem blandam, vacuam sed mente, figuram
 Pinxit; at heic vivi est editus oris honor.
 Nec tantum extremô decor additus haeret in ore,
 30. Sed quoq; culta nitent interiora magis.
 Nam propriae adfudit radios de lumine mentis,
 Quos lapis haut *Parius*, laeve nec aequat ebur,
 Lucida divini vultus ut limus imago,
 Et pars aetherei spiritiosa poli.
 35. Et sensum memorem, prudens rationis acumen,
 Judicium, normam mentis, habere dedit.
 His ex seminibus variae virtutis & artis
 Omnigenae gignit mens moderata decus.
 Difficili nec in hac plenâ & sudore palaestrâ
 40. Est animo mulier deteriore viris.
 Si non antiquos renues evolvere fastos,
 Fiet ab exemplis hac tibi parte fides.
 Quid si sollicitis oculis & mente requires,
 Quae fuerit quondam religiosa cohors.
 45. Non modo grandaevus *Simeon Abrahamq;* legetur,
Hanna sed his anus est & pia juncta *Sara*.
 Quid *Constantini* labarô crucibusq; potentis
 Matrem, praecellit quae pietate, canam?
 Quid *Monicam* memorem, quae per sua vota precesq;
 50. *Augustam* Nato pandit ad astra viam?
 Nostra quis ignorat? quam confessore marito
Saxone Clivensis digna *Sibylla* fuit.
Annaq;, quam nuper delamentamur ademptam,
 An non *Augustum* juvit & ipsa suum?
 55. *Danorumq;* paterna seqvens vestigia regum,
 Sustulit haeresium dexteritate plicas.
 Nec tantum *Stephanus* laetè moriendô triumphat,
 Quin & ovans *Agnes* pro pietate cadit.
 Quid? quod ob *Antiochi* rabiem crudelia fata,
 60. Cum natis forti pectore mater adit.

Septe-

Septenae sobolis spectans miserabilis ipsa
 Solatur genitrix mox peritura necem.
 Qvin & Edessenae mulier fortissima plebis
 Ultrò martyrii gestit adire crucem.
 Dum flagra Christicolis atq; arma horrenda minaris 65.
 Gaudens sanctorum, dire, cruore, Valens.
 Ad solitum constans Ecclesia convenit hortum,
 Expectans saevae fata cruenta necis.
 Mox armata cohors gressu contendit eodem,
 Mactatura pium, rege jubente, gregem. 70.
 Ecce manu parvum mulier ducente nepotem
 Per medias acies in sua fata ruit.
 In sua fata ruit venturae certa salutis,
 Esse putans Christi nomine dulce mori.
 Nilq; , quod horreret, nisi ne, si tardior esset, 75.
 Fortè morâ faceret, ne moreretur, erat.
 Tantus amor coeli repetit tam gnaviter ortus
 Cùm genus aethereum se sciat esse, locum.
 Non ego cuncta meò statui comprehendere versu;
 Aptâ sed ex multis mens dare pauca fuit. 80.
 Si quis plura tamen majoraq; scire laborat,
 Scriptores adeat, qui sacra gesta notant:
 Inveniet matres simul innuptasq; puellas,
 Non minùs, ac patres, ob pia facta mori.
 Non etenim maribus sunt mascula robora tantum, 85.
 Corda in foemineò sunt quoq; firma chorò.
 Nam quis Amazonidas, Marvortia corda, forores,
 Teq; , ferax, nescit, Sparta, viraginibus?
 Carmine cui non est vel Penthesilea frequenti
 Cognita, vel quemnam Volscâ Camilla latet? 90.
 At, si res paci magis apta puella videtur,
 Doctrinas etiam mente sagace capit.
 Anglia tu testis, multas Heroïdas aeqvans
 Artibus & rerum cognitione viris,
 Tuq; , novi, Sappho, reperis dum carminis artem, 95.
 Turba tui sexûs quàm sit acuta, probas.

- Nunc quoq; *Palladis*, nisi disciplina deesset,
 Haud foret à donis condecorata minùs.
 Non illis Natura, sed informatio, defit,
 100. Naturae alterius quae solet esse vice.
 Antiquae sed enim quid concino nomina famae?
 Obvia praestabit commemorare bona.
 Protinùs occurrit, quod nil humanius extet,
 Hâc ipsa superat foemina dote viros.
 105. Adspice quàm comis sit in ipsò gratia vultu,
 Audi quàm plenus sermo favore fluat.
 Conveniens homini est aliò gaudere jocante,
 Conveniens aliò est collacrimante queri.
 Trux leo, trux taurus, caperatâ fronte sit hircus;
 110. Nomini at humanus convenienter homo.
 Cui Deus idcirco vultum, mirabile donum,
 Posset ut adfectûs significare, dedit.
 Ergò placet virgo, blandò quòd amabilis ore,
 Quod proprium est hominis praecipuumq; decus.
 115. Ast heïc inprimis vitium mordetur ob istud,
 Quòd nimiâ *Venerem* captet anhela siti.
 Heïc matronalis decoris se jactitat osor,
 Heïc caelebs dentes exacuisse solet.
 Dem tibi, *Naso*, licet, quod & hoc inpensius optet,
 120. Quò cunctos homines insitus ardor agit.
 Tectius at cupit hoc, vel te quoq; teste, furoris
 Dum cohibet vires dissimulando sui.
 Quid bonus à pravò, demtò moderamine, distat?
 Motibus hic pronus frena dat, ille negat.
 125. Omnibus illicitae flagrant in pectore flammae
 Infectis vitiò progenitoris *Adae*:
 Attamen hoc juvenes praecellit virgo, pudenda
 Foeda verecundâ quod sua mente tegit.
 Illi comprimerent si sic incendia, non has
 130. Culparum possent tot perhibere reas.
 Simplicibus quoties blandò sermone puellis
 Fallax peccandi causa fuère viri?

Mul-

Multis, nî captæ precibus præciõq; fuissent,
 Salvus adhuc esset virginitatis honor.
 Sollicitare *Paris* nisi consuevisset amatas,
 Tyndaris *Iliacas* non adiisset opes. 135.
 Si non auditõ cessisset nomine regis,
 Facta modõ nullõ *Bathseba* moecha foret.
 Illas quid memorem, decus irreparabile demsit
 Queis juvenum rabies & violentus amor? 140.
 Nata *Thamar* vatis *Jessæi* viq; dolõq;
 Ammonis est primum ferre coacta torum.
 Ergõne deceptas quisquam culpabit, & ipsos
 Ponet fallentes in meliore locõ?
 Non ita: sed precibusq; minisq; coacta voluntas,
 Cur veniam culpæ promereatur, habet. 145.
 Quid? quod non paucas levis indulgentia patrum
 Perdidit & pravi causa supina quies.
 Tunc cum *Roma* rapit succinctâ in veste *Sabinas*,
 Invenit haud promptum foeda libido locum. 150.
 Põst stuprata gerunt duplici sub cyclade corda,
 Nec juvat innumeris septa fuisse stolis.
 Scilicet ingenuus labor improba volvere non fert,
 At servire malis ocia pigra docent.
 Dedita desidiæ, *Sireni* adfixa fenestras
 Spectando flammæ quassat alitq; suas. 155.
 Ergõ culpa tua est, sexum ad quæcunq; sequacem
 Qui non majori sedulitate regis.
 Nam, quas moratae flexit pia cura parentis,
 Spectatae laudem virginitatis habent. 160.
 Incultum deses si quem liquisset Arator,
 Quid mirum, spinas si generaret ager?
 Tu quoq;, quid quæreris, patiens torpescere natam,
 Si petulans variõ corpus amore replet?
 Flexibiles natae mores formato tenellæ,
 Virtutisq; doce cum pietate viam. 165.
 Mollitiæ pulsâ, discat quoq; ferre laborem,
 Atq; sodalitiis abstinuisset malis.

Haec

170. Haec, benè si trades, nulli cessura virorum
 Florebit solidâ laude pudicitiae.
 Si quâ tamen fuerit casti transgressa pudoris
 Metas, non sexus, sed levis ipsa fuit.
 Nec muliebri genus, nec culpas jure virile,
 Autoris formam gestat utrumq; Dei.
175. Inter utrumq; tamen pars sivevit degener esse,
 Ut semper rebus sunt mala mixta bonis.
 Et monstrosa *Venus* fuerat quoq; mascula quondam,
 Omne tamen damnat nemo virile genus.
 Cur igitur, quod & inter eas est turba proterva,
 Audiet ob quasdam foemina cuncta malè?
180. Ergo prava bonis pensandò dexter utrumq;
 Adspice judiciò candidiore genus.
 Ut prior aeternae meruit praeconia famae,
 Sic cedrò sexus dignus & alter erit.
185. Nec tantùm fulges tu, *Scipio*, laude pudoris,
 Est in matronis haec quoq; fama frequens.
 Casta pudicitiae fideiq; jugalis imago,
Penelope, telae distulit arte procos.
 Qvis *Romana* tuum nescit *Lucretia* nomen?
 Es, quae pro raptò nixa pudore mori.
190. *Panthea* divini mensuram nominis implens
 In pulchrò retinet fortiter ore fidem,
 Quid? quod ad illicitas *Susannam* cogere taedas
 Nec mors, probrosae nec potuère minae.
195. Forma erat his damno, dos haec quoq; certa puellae est,
 Sexus & hoc proprium possidet iste bonum.
 Corpore praecellit certè, facieq; venustâ,
 Et gratâ formae floriditate viros.
 Nempe parem sexum *Charitum* chorus amplius ornat,
 Atq; *Venus* generi plus favet alma suo.
200. Gleba virum genuit, mulier sed facta virili
 Costâ, materiam suppeditante, fuit.
 Ut superat nigram costae praestantia glebam,
 Sic est virgineò major in ore nitor.

Seu

Seu causa haec, sive illa, fuit, (tibi credere utramvis, 205.
 Vel neutram, liceat) res satis ipsa liquet.
 Haec niveis manibus, malis placet illa rotundis,
 Hanc rosea & modicum turgida labra decent.
 Sangvine plena, jocos quoniam risusque decoros
 Prae se fert, reliquis gratior esse solet. 210.
 Sunt, oculis, aliae, quae sive micantibus urunt,
 Sangvinis & cholerae quas liquor aequus habet.
 Haec digiti teretes, frons haec augusta probatur,
 Illa superciliis conspicienda nigris.
 Flava comis alia est, & non memorabile nobis, 215.
 Plus formae virgo si qua latentis habet.
 Foeminei quis enim discrimina mille decoris
 Audeat in versu connumerare brevi?
 Forma decet sua quamque, licet non semper iisdem,
 Nec cunctis unquam grata sit una modo. 220.
 Illa puellarum, me iudice, gloria prima est,
 Quam simul & sanguis, bilis & atra regit.
 Quae non alba nimis, modicum sed nata decenter
 Candorem, medio fusca colore rubet.
 Vel quia rara solet tumidam conurgere in iram, 225.
 Vel quia nulla unquam est firma in amore magis.
 Forma placet mediae, mediam tu, Galle, probabas,
 Major enim mediis gratia rebus inest.
 Hanc vario celebrat modulamine Musicus ordo,
 Voceque perpetua, fusca puella, canit. 230.
 Nec distincta placent huic omnia, nullius aequae
 Virtutem summus laudat Aristoteles.
 Hanc Veneri junctus moderatus Juppiter esse
 In medio media corpore mente jubet.
 Sic proba, sic graviter comis, taciturna, modesta est, 235.
 Prudenti curans sedulitate domum.
 Penelope talis fuerat, Lucretia talis.
 (Namque Helenae nimium gratia laeta fuit)
 Utraque comis erat, sed plus ornabat amoenis
 Moribus adjunctus castus utramque labor. 240.

Seu

B

Talem



- Talem consequitur quicumque, potissima nactus
 Semina terrenae prosperitatis erit.
 Nam nec erit petulans nimium, nec tristior aequo,
 Humanam mixtus sed gravitate torus.
245. Quid quod in humanis magis est optabile rebus?
 Quid mundus, possit quod dare, majus habet?
 Sanguine deseritur junctus, discedit amicus,
 Uxor at est vitae portio firma tuae.
250. Gaudes: haec tecum resolutam mente jocatur,
 Luges: certa solet tristibus esse comes.
 Sint Dani testes, a rege avellere pulsam
 Uxorem nullum qui potuere modo.
 Oblatum in regno vivendi sprevit honorem,
 Exulis atque viri maluit esse comes.
255. Dum te tot quatunt, quas perfert vita, procellae,
 Usus an sociam nullius esse putas?
 Fluctibus his pressus, quam sis solandus ab arte,
 Quam nupta est, haud vir doctior ullus erit.
 Nam nativa subest illi facundia, saepe
 Rhetor sollicitus quam sine fruge docet.
260. Hanc, variis linguis verè, Cleopatra, stupenda,
 Formam valde potens haud licet esset, erat.
 Eloqvii propter celebris mirabile nectar
 Asiam summi deperiere viri.
265. Quid solet orator quoque, gratior esse peritus,
 Matribus est proprius congenitusque, pudor.
 Virtutum custos pudor atque Cupidinis hostis,
 Prudentis certum pectoris indicium.
270. Hinc oculis insunt demissis philtrea puellae,
 Quae fit ab ingenuo grata rubore magis.
 Nec tamen hic pudor est adeo male-rusticus omni,
 Hinc ut prae mutò voce stupore valet.
 Invenit haud quisquam citius, quod dicat & ornet
 Dulcia morato verba lepore magis.
275. Prima, secunda simul datur & cui tertia sedes,
 Actio naturae est insita foemineae.

Nam

Nam molliq; sonô, gestuq;, oculisq; decoris
 Demulcet quôvis ferrea corda modô.
 Non ita Threïcius montes & flumina vates;
 Ut post se cunctos foemina blanda trahit, 280.
 Omne tulit punctum, seu quid miserabile dixit,
 Seu dixit blandô verba jocosa sonô.
 Nescius, adfectûs quâ sint ratione movendi,
 Quisquis es, uxorem consule, doctor eris.
 At non rana loqvax, ais, aut ita garrula cornix, 285.
 Ut sine fine suâ foemina voce blatit?
 Scilicet inmensô, quô non quis possit abuti,
 Quantumvis praestans, extat in orbe nihil.
 Cùm mala sint vicina bonis, sunt optuma quaeq;
 Prona in cognatum degenerare malum. 290.
 Non tamen idcirco, quia mox in pessima possunt
 Optuma mutari, sunt bona digna probrô.
 Nec, quia pungenti rosa fragantissima spinae
 Juncta sit, est imo stirps perimenda solo.
 Publica facundi turbârunt commoda *Gracchi*, 295.
 Eloqvium tolli non tamen omne decet.
 Ergò nec uxori sua sit facundia fraudi,
 In multis nimiùm larga sit illa licet.
 Quin & quid valeat virtuti adsveta tacendô,
 Fida tibi specimen *Portia*, *Brute*, dedit. 300.
 Dum crus laesa suum patiens cum vulnere febrim,
 Ingenti quamvis pressa dolore, filet.
 Sed quandoq; nocet nimiùm tacuisse maritam,
 Atq; viro prodest blanda loqvella magis.
 Hâc aegrum curis est solatura maritum, 305.
 Tristia continuus ne voret ossa dolor.
 Ambobusq; petet te circumplexa lacertis,
 Ut facias operum moestitiaeq; modum.
 Ut parcas vitaeq; tuae, nuptaeq; salutis,
 Cùm sint, te demtô, sint sua vota mori. 310.
 Hinc molles exorsa jocos è pectore curas
 Sermone expellet liberiore procul.

Nam

B 2

Singu-

- Singulaq; humanis interferet oscula verbis,
Ut majus possint pondus habere preces.
315. Ac velut unanimes jungunt sua rostra columbae,
Qvas *Venus*, & sociat non simulatus amor:
Mutua conjunctis sic svavia grata labellis
Figit vir nuptae, nupta tenella viro.
320. Nulla adeò corpus reficit Medicina labore
Fractum, quem ratio postulat officii:
Spiritus ac fessos confortat conjugis artus,
Oscula qui roseò dantis ab ore fluit.
Caetera, qui thalami carpistis gaudia, scitis.
Namq; haud virgineo sunt ea nota choro.
325. Sic tibi nupta tuae prolongat tempora vitae,
Qvam solet haud cessans abbreviare labor.
I nunc, ò caelebs, &, quae loca sola probâsti,
Inhabita, i nunc, ac, quod probo, carpe genus.
330. Si spernis placidae, longae si tempora vitae,
Conjugii spernas commoda mille licet.
Divini nobis cordi praeconia verbi,
Auctrix quæis vitae ducitur uxor, erunt.
Nec ratione caret. Namq; officiosa marita
Morborum causas principiumq; fugat.
335. Temperies habitus fervetur quomodo sani,
Si nescis, Medicos consule, certus eris.
Hi tibi, sex rebus non naturalibus, edent,
Humor quòd vitam spirituosus alat.
340. Quae benè perpendes si singula, protinus uxor
Occurret, medicam quòd tibi praestet opem.
Haec solet, ut nequeat tibi pestilis aura nocere,
Munda ministeriò reddere cuncta suo.
Stragula componit promptò non dura labore,
Sit magis ut somnus, sit tibi grata quies.
345. Praeparat haec fontem, vitaeq; & sanguinis escas,
Et benè lautitias ingeniosa coqvrit.
Atq; cibo, cum gnara tui sit amansq; palati,
Te pascit stomacho conveniente tuo.

Qvin

Qvin etiam vocis condit dulcedine mensam,
 Quae lactè meliùs digerit acta dapes. 350.
 Nec tantùm membris, animo quoq; consulit, unum
 Quisqvis in his spernit, spernit utrumq; simul.
 Qui non mente valet, frustra valuisse laborat.
Mens aegra in morbos corpora sana trahit.
 Heïc etiam Medicus solet esse domesticus uxor, 355.
 Vel potiùs medicas exsuperare manûs.
 Laetificiq; virum recreat Nepentheos instar,
 Usq; adeò est mulier dulcis & herba potens.
 Mitigat irati flagrantès pectoris aestûs,
 Cur noceat, mea lux, cur, ait, ira tibi? 360.
 Corq; levat pressum nebulosis luctibus in se,
 Atq; serena piâ gaudia mente refert.
 Hinc vegetae vires, saliant hinc sanguine venae,
 Hinc obscura novus transit in ora vigor.
 Quid? si fortè gravis populabitur ilia morbus, 365.
 (Nam benè perpetuò nemo valere potest.)
 Obsequium praestat quis tunc tibi flebile, curam
 Vix ut anhela tui membra trahentis agat?
 Diffugiunt dulces à vix spirante sodales,
 Est quoq; cognatis cura molesta tui. 370.
 Dives es, optat opes haeres sibi; sed tibi coelum:
 Pauper es; at gratis jam benè nemo facit.
 Sola tibi conjunx lacrymarum plena cohaeret,
 Te, sola ex imò corde, dolente, dolet.
 Seu verbis opus est, dictis solatur amicis, 375.
 Et tua spe certâ tristia damna levat.
 Seu si res poscit, medicas res anxia quaerit,
 Per quas vis animae jam fugitura manet.
 Te fovet & recreat variâ ratione, tibiq;
 Robora sollicitâ pristina reddit ope. 380.
 Res aeqvè ac causas reparandae nulla potentes
 Sedulitas; ast haec prompta salutis habet.
 Aegrotis Medicò plus cura domestica prodest,
 Suppetit, haec si, cûi cur benè speret, habet.

385. Hâc respirârunt saepè absq; *Machaone* multî,
 Hâc sine sed morbos nullus *Apollo* levat.
 Conjugis est, sanas ut commoditate diaetae
 Et faciat vires, & tueatur eas.
 Qvod si praesidium vitae rem quaeris opimam,
 390. Adjutrix nupta est sic quoq; certa tibi.
 Ac virtus eadem, quae quaerere parta tueri,
 Cùm sit, & heic, quam vir, non minor uxor erit.
 Namq; viro, fundos ne dilapidaret avitos,
 Frugalis remorae foemina saepè fuit.
 395. Dùm justis benè quaeq; locis & tempore promit,
 Omnia ne perdat prodiga coena semel.
 Atq; memor semper venturi cauta recondit
 Singula, quae poscit provida cura domûs.
 Non bona conradens, sed qui quaesita tuetur,
 400. Deducens ad opes hic sibi fecit iter.
 Incassum nummis cumulatur cistula, fundô
 Si, *Danai* prolis ceu foret, urna caret.
 Fundus hic est uxor, sumtûs quae temperat amplos,
 Defluat ut ne plus, adfluat atq; minus.
 405. Nec modò conparcit, telâ sed & ipsa colôq;
 Quaeritat illa, quibus victus & usus eget.
 Sunt ea parva quidem, sed quisquis abundat inemtis,
 In reliquis crescit parva per ista bonis.
 Et *Paestana* velut circumvolitandô roseta,
 410. *Cecropiae* cumulant flumina mellis apes:
 Sic, ratione *Lares* simili dùm circumit uxor
 Gnava, maritales amplificantur opes.
 Sed quid opes narro, dum foemina mater adauget
 His quoq;, quae nummis sunt meliora, domum?
 415. Nam repetens nixûs, ut avi numerentur avorum
 In gratâ celebres posteritate, facit.
 Et spem producit numerosam gentis, ut amplae
 Deficiant nunquam nomina prisca domûs.
 Teq; facit dulci reverendum prole parentem,
 420. Et cultore polos, oppida cive replet.

Hinc

Hinc quoque tristitiae lenimina certa parari,
Spartanæ Regis ludicra facta docent.
Turba loquax nati dum te rogitando fatigant,
Simplice colloquio tristia cuncta fugant.
Dumque equites gaudent & cuncta effingere visa,
Gaudia sunt prolis gaudia certa patri,
Qui videt effigiemque sui seclumque futurum
Vernans in curto luxuriare pede.
Has fert delicias patrii que imitamina vultus
Uxor, & est tanti foemina causa boni.
Foemina tollatur, natis vir dulcibus orbis,
Et cultore Deus, civibus orbis erit.
Haec Erato CECINIT plus cantatura, sed istae
Acrius Aoniae dissiluere fides.

425.

430.

F I N I S.



AK 774 208

Haec Erna Cetera pl. a Cantuar. ...
Et cultore Deos, vivens ordis erit.
Forming collatur, ante viri ducibus ordis.
Lors, & est tantu locumna canthopoi.
Hae fer delicias parid, nuntiana vltus.
Vernans in certo, huncate pedes.
Qui videt erigitur, in teland, furtum.
Gaudia hunc prois, gaudia certa parit.
Dumque epites gaudere, & canna effugit vlla.
Simplice colloquio, vltis canna fugat.
Turba hodyer navi dum, vero stando, furtum.

432
430

F. H. N. 1. 2.



7707
21



En
Illu
DN.
DN.
DN.



em ex voto
e,
Excellentissi-
NN.
celeberrimi Nomi-
LEO AUGUSTO, Brun-
à Consiliis Intumis,
Legato splendidis-
to atq; Polyhistori
Nobili Caesareo spe-
maj. Caes. Divi LEO-
Critico, Poëtae ac
lae Cygnae Reçtori
VERGETIS
COMIUM
olim (XXV.
XXXV.)
m locò,
ô Encomiò κα]
IS,
EXOPTATUM
q; DEDI-
KELIUS.

